

transiens, quem semper repræsentat mediclinium, seu radius visualis, est linea FG , vel HI . Horizon ipsum secans in cetro E , est linea BD altitudo stellæ existentis in F , est arcus BE , spatium nimirum interceptum inter circulū verticalem seu Azimuth & Horizontem. Astrolabij enim centrum repræsentat centrū mundi, in quo verticales & horizontes obliqui sese intersecant, uti ex præcedentibus liquet. Verum eiusmodi altitudines astrorum multo acuratus inuestigabimus beneficio Quadrantis alicuius; huius descriptio licet multiplex hinc inde apud varios Mathematicos pro varia cuiusque intentione & usu reperiat; tamen reliquis vel ipso Clauio teste, præferenda est illa, quæ ab illustri viro **JACOBO CVR TIO**, Imperij quondam Procancellario, viro in omni disciplinarum genere exercitissimo, ab ipso Authore eidem **CLAVIO** Praga Romam transmissa fuit; eò quod non solum gradus, sed & minuta graduum eius beneficio liceat inuestigare: cuius Quadrantis constructionem breuibus hoc loco complecti operæ precium duxi, ut, si quis velit, sibi possit similem in usum proprium ex materia aliqua solida construere. In tabula igitur quadrata, plana & æquali, facta vel ex cupro, vel ligno, vel etiam carta bene compacta, describatur ex centro A , Quadrans circuli BC qui diuidatur beneficio circini in 90. gradus æquales (tot enim gradibus potest eleuari astrum, non amplius) incipiendo à C versus B , ut hic apparet. In latere AB fiant duæ pinnulæ perforatæ, per quas in operatione radius visualis transire possit. Quo facto ex eodem centro A describantur alij Quadrantes 59, qui distribuantur in hunc modum. In primo, qui proximus est Quadranti BC , sumatur portio beneficio circini partium 61. quæ sit v. g. arcus DE , & diuidatur in 60. partes æquales, ita enim quælibet pars continebit gradum unum & minutum unum seu minuta 61. Rursum in 2.º Quadrante abscindatur arcus grad. 62. II. g. arcus GH , qui diuidatur etiam in 60. partes, quarum una cō-

tinebit